

mundus videlicet consuevit, si cui contingit praestantis provinciae alicujus praefectura? Nequaquam, carissimi, sed ut major nos ecclesiae cura teneat, ne quid hujus thesauri facile perire patiamur. Humilitate, afflictionibus, cruce, passionibus, sanguinis profusione, flagellis, morte postremo acerbissima Christo domino nostro hic thesaurus partus est, iisdem rebus nobis venit custodiendus et tutandus, non gloria, non superbia, non potentia.

Quid igitur his verbis Paulus agit? Ut nobis quam maxime commendet populum nostrum, cum audiamus, esse ecclesiam dei, esse partam Christi sanguine. Nemo ergo nostrum, carissimi, suas oviculas, qualescumque tandem vilipendere debet aut dicere sentireve: Quid mihi cum his rusticis? quid cum levibus homuncionibus? Sed quantumcunque vilem et infimae farinae hominem, qui baptisatus et nostrae curae commissus est, his oculis intueri debemus, ut in illo consideremus non humilitatem carnalem, sed sublimitatem spiritualem videlicet, quod est membrum ecclesiae dei, tantique in conspectu ejus precii, ut sanguinem suum pro eo fundere non sit dedignatus, ac proinde omnibus modis cavere, ne nostra culpa et negligentia pereat. Quicquid enim hic perit, perit Christo, cui quicquam perdere, quod illi tanta mercede constitit, extremae est impietatis summaeque injuriae, atque ideo minime impune futurum. Sic de Christianis judicare, itaque eos magnificare alibi quoque Paulus nos docet, cum ad Romanos<sup>1)</sup> scribens inquit: *Ne cibo tuo illum perdas, pro quo Christus mortuus est.* Et iterum<sup>2)</sup>: *Ne cibi caussa destruas opus dei.* Rursus ad Corinthios<sup>3)</sup>: *Peribit frater, qui infirmus est, in tua scientia, propter quem Christus fuit mortuus; sic autem peccantes in fratres, in Christum peccatis etc.* Quod si ergo tanti est apud Deum esu carnum fratrem offendere, et hoc Paulo vocatur dei opus destruere et contra Christum peccare, quantum fuerit hominem nostrae curae commissum fastidiose negligere et pati perire? Quem vero haec verba non moveant? quem stertentem non excitent? et ad summam vigilantiam non provocent? Atqui dixerit aliquis: Si Christus oves nobis commissas suo sanguine redemit, quomodo nostra negligentia perire possunt? dicit enim Joha. 10<sup>4)</sup>: *Oves meae non peribunt in aeternum neque rapiet eos quisquam de manu mea. Pater meus, qui dedit mihi, major omnibus est etc.* Respondeo: Potens est quidem Christus etiam absque nostra opera oves suas pascere et a lupis protegere, sicut in mediis etiam erroribus tuentur, ut

<sup>1)</sup> Röm. 14, 15. — <sup>2)</sup> Röm. 14, 20. — <sup>3)</sup> 1. Kor. 8, 11 f. — <sup>4)</sup> Joh. 10, 28 f.